



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Tyrocinij Anglicani initia. n. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1603.

incrementa. *Paruis lentisq; initijs quæ perpetuanda sunt plerumq; succrescunt.* Grana duo Anno octogesimo in Infulam missa, viginti totis annis vix vigesimum produxerant Societatis hominem qui tanto Regno sustentando adhiberetur, plures in alijs Prouincijs admissi, vel nondum in opus maturuerant, vel iisdem in locis in quibus cooptati vtilem nauantes operam, vitæ annos aliquot exigebant; par enim erat vt tyrocinijs & studiorum apud exteros emenso stadio, aliquantulum eorum vtilitatibus deseruient à quibus fuerant nutriti atque exerciti. Seminaria quoque in Hispanijs & in Belgio ijs annis nata non paucos euocabat ad variam earum domuum administrationem; aliquos etiam mors sustulit præmatura. In his fuere præter *Thomam VVarcopum* (quem libro primo memorauimus Alicanti de via defunctum) *Gnilihelmus Suttonus & Robertus Bennet*; hausti fluctibus non longè ab eodem Alicanti promontorio, dum anno nonagesimo ad initia Vallisoleranæ domus vocaretur. Catalogus defunctorum *Paulum* etiam *Tancardum* memorat Vallisoleti mortuum quinto Iulij Anni millesimi quingentesimi nonagesimi noni, Is *Carolus Tancredus* erat, qui annorum viginti adolescens, cum in Seminario de vrbe Philothix dedisset operam, profectus Neapolim admissus est in Societatem in Februario anni octogesimali quarti, decursisque Romæ Theologicis missus Hispalim, eo Anglorum in Seminario egit aliquamdiu Ministrum; tum summo Præfecto Regni Castellæ à Confessionibus plura peragravit maria ac demum Vallisoleti, quo diximus anno, obiit.

Mortui ex nostris in Hispanijs.

Don Martin de Padilla.

*Henricus* etiam *Tychbornus* Sarisburiensis, admissus vndecimo Octobris anni octogesimali septimi, post studia peracta iisdem in Anglicano de vrbe Præfectus, nascenti Hispalensi Seminario datus Minister, & moralis Theologiæ Professor, & Confessarius, anno sexto supra millesimum sexcentimum magna cum opinione Sanctitatis & doctrinæ sublatus est. Posterioribus vero annis præter *VValpolos* tres, *Antonium* etiam *Hosquinum*, & *Ioannem Nortonum* Missioni isthic Præfectos, *Thomas Syluestri*, *Ioannes Polus*, *Guilielmus VVarneford*, *Iacobus Blundel*, *Guilielmus Caldwell*, *Thomas Land*, & plures alij similibus in Ministerijs finem viuendi optato citius inuenere.

Tyrocinijs Anglicani initia.

II. Huiuscemodi impedimentorum frequentiam motus *Personius*, stationem quærebat ex qua Tyrones numero auctiori cooptati ad hæc munia atq; ad messem in Anglia in dies copiosorem, quotiescunque commodum videretur, possent educi. Nā & ex Seminarijs adolescentes, & prouecti in studijs non pauci, multi etiam ex Sacerdotibus in ipsa messe laborantibus Societatem petebant, quorum omnium votis vicinarum Prouinciarum Tyrocinia non erant paria. *Iosephus Creswellus*, Missionis in Hispanijs per eos dies administrator, animo conceperat, & volente Philippo tertio in eacogitatione aliquotusque progressus fuerat vt Bilbai Cantabrorum domus huiusmodi formaretur: Sed præter Cælum non vsquequaque nostris propitium, cæterasque grauioris momenti difficultates, ipsa loci longinquitas, itinerumque sumptus & pericula *Personium* deterrebant.

As